

Vidi ego nocte concubia, ab utraque lucis extremitate radios ad medium spacium festinantes, atque inter se aduersos & infestos tanquam duas acies inimicas acerrime concurrentes. Factus ibi conflictus & radiorum confusio, sese inclinantium aduersos prementium, mox refugiuntium, se attollentium, & contorquentium, cum incredibile colorum punicei, uiolacei, flauī, rubei uarietate. In hac pugna & cœlesti certamine, inclinata orientis parte radij occidentis ualentiores, fortiores, & victores apparuerunt.

Qui facile sibi credunt, bellum horrendum iam iamque inter nos & Machometanos fore dicebant. Prodituros in aciem duos Monarchas: pugnam appropinquare: nos autem uictores fore. O' nostra desideria insana, nugatoria dicta fuerunt. Nos ipsi timemus, nos miseri multamur, diripimur, uexamur. Turcarum antiqua & Scytarum infelix præda. Iam quia mi patrone tibi placuit, ut picturam adijcerem; hic illam habes, qualem in assidua eius noctis contemplatione consequi potui.

G 3